Nobilissimo Viro D. Constantino Hugenio
Eq. Zulichemi Domino, et Celsissimo Arausionensium
Principi à consilijs & secretis C. Barlaeus S.P.D.

Valde me recrearunt Epigrammata tua, Nobilissime
Hugeni, nec minus Constantini tui. Totis mihi modijs
admetiris versus, toto me coelo et meteororum opum
ingenti congerie, domestica deinde supellectile donas.
Quae dum in argutos singula sensus contorques, impetum
mihi in superos inferosque ferre videris. Vapulant
tibi Sol, Luna, pluviae, grando, nix, cometae, fulmina,
ignes fatui, totusque exercitus imperfectorum corporum.
Inde ex supellectile satyram contexis, et acum, pectines,
specula, forfices, forcipes, dentiscalpia, et nihil non
istorum impedimentorum, tanquam stultitiae nostrae
argumentum, traducis. Expendi cum Nobilissimis
doctissimisque viris, Satrapa Muydensi et Vicofortio
acumina tua et subtilissimas cuspides, in quas desinunt
Epigrammata. Multa sunt, quae ipsam Bilbilim
obtundunt. Sed hoc unice velim, ut istius generis
poemata omnia colligas in unum; Ne turbata volent
levibus ludibria ventis. Magnam vim habes huius
annonae. Collecta ede in lucem. Erunt pro acetarijs
fastidientibus stomachis, et lactucae malvarumque
officium praestabunt Sophronisci. Meditationes tuas
de Organorum in templis usu et abusu, legi non oscitanter.
Est Peripato suum Organum, est Ecclesiae. Illud procul
a fano, hoc fanorum proprium. Illud rectae rationis
regula est et norma. Hoc voces cantusque nostros moderatur.
Illud in scholis, hoc in templis sonat. Illud sapientiae
praeludit, hoc pietati. Prius ignorantiae et errori,
posterius tristitiae ac dolori medetur. Templorum
organa digitis pedibusque movent ludentium. Nostrum Organum
doctae profitentium & docentium voces. Illa ventis inflan-
tur et sufflando aditus; hoc nostrum Simplicij, Philoponi,
Ammonij, Aphrodisaei, Averroes, magna nomina. ut
praerogativis non levibus praecellere videatur Peripa-
teticorum organa. Triplici delectamur Musica. ea,
quae vocis est: ea quae pedum est et ad numeros saltat:
et ea, quae Organica est, numerosisque instrumentis,

tibiæ, citharæ, testudini, cymbalisque applicare. Hæc
postrema in templa irrepsit, sed malo apud plurimos
more. Etenim, quæ non nisi sacra loqui debebant,
profanos subinde et lascivos sensus auribus oggerunt.
Et licet nulla soni, in non intelligentibus, sit impuritas
labesque, hoc tamen illa peccant nomine, quod memoriam
injiciant rerum minimè cœlestium, vocibus ad numeros
eosdem factis expressarum. Clamant passim organa, dum
abitionem è templis paramus, dum garrimus saturi
sacræ auditionis, dum de prandio vel cœna cogitamus,
dum ambulationibus diem horamque dicimus. Hæc aliaque
plurima correcta cupis, aut saltem ut corrigenda, indicas,
omninò tecum sentio. Non abhorrere pietatem à cantu et lusu
vetus illud est: Deumque canere fidibus et cithara. non est
superioris seculi inventum tertia hæc Musicæ species. An-
tiquissimus organorum inventor Jubal fuit. Noachum et
Japetum antecessit hæc hominum solertia. Eget animus adminiculis
quibus ad Deum se et cœlestia erigat, humo alias affixus
et languidus. Facit hoc Musica, quæ dum aërem percutit
harmonicè, percutit illum, qui aurium anfractibus conti-
netur, illisque vernaculus est. Hic spiritus afficit, quos
animales vocant, animæ operantis proximum instrumentum.
Hi animam movent, et eam maximè vim, quæ concupisci-
bilis dicitur, ubi gaudium, lætitia, amor iucundi et tristium
fuga ~~odiumque~~ stabulantur. Et quia gaudio hoc fruitur
attenta imaginatio, gaudet imaginatione delectabili
ipsa ratio et intellectus. Hic dum numeros accipit
sanctioris cantilenæ aut poëmatis, quod de Deo, vel
Angelis, vel Christo et salutis nostræ mysteriis loquitur,
excitatur et erigitur horum cogitatione mens, et
animali gaudio succedit spirituale et verè divinum ac
cœleste, quod nos subducens humo Deo propius iungit,
et velut extasi prædam abripit mentem, et cœlitibus
(dixissem potius Diis) miscet Superis. Quæ cum ita sint,
pessimo divortio ab Organis attentionem, ab attentione
pietatem et rerum divinarum seriam meditationem separamus.
Tu, Hugeni, medicinam publico errori quæris et invenis.
Nec dubito, quin admissuri illam sint et amplexuri
sacrorum antistites. Ea quippe observas, quæ et cavet,

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 660-663
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657

debent religiose, et fidei minus superstitiose. Scribis te aurium apostemate laborare. Non debebas sane, ut qui crassas et Batavas habuisti nunquam. aperto abscessu auribus eris purgatissimis, uti naris es et fuisti emunctissimae. Certe olfacere potuisti tot organorum apostemata, et attendere ad illa, quae in eorundem in templis usu incontinna prorsus sunt et dissona. Valetudinem tibi quavis corporis parte validam et animo precor. Filiorum quadrigam saluta. Constantino respondebo intra dies pauculos. Mira scribit adolescentulus iste. aetate prior, praecedere arte studet. Nec ~~te~~ degenerem se praestat Christianus, qui licet a fratre vincendus sit, non vult esse vincendus. Vale vir maxime, nec odisse velis unquam, qui te semper et virtutes tuas pro interula habet:

Pectoris illa tui virtus candorque fidesque
Proxima, Barlaei tangit operta sui.

Amstel. XXVI Febr. CIƆIƆCXLI.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 660-663
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 660-663
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 660-663
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657

Viro Nobilissimo amplissimoq̂ȝ,
Dn̄o Constantino Huygens,
Equiti, Zuylichemi Domino, &
Celsissimo principi Auriaco à
consilijs ac secretis

Hagam.

port.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 660-663
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657

In Diatribam

Nobilissimi Viri D. CONSTANTINI HUGENII, Equitis, Zulechemi Domini &c de Organorum in Templis usu & abusu.

Si pia Seraphicae modulantur carmina mentes,
Excelsumq. canit maximus ordo Deum;
Si sua coelorum moles concentibus aptat
Corpora & exactis incitat astra sonis;
Regia si summum cecinerunt plectra Tonantem,
Et Solymae modulis perstrepuere suis;
Si modijs olim sonuerunt organa templis,
Cum Pietas priscum tolleret alma caput;
Nec fureret Latij rabies in sacra Deumq.
Otiaq. assertae religionis erant:
Cur nostro tetrici damnabimus organa seclo?
Aut grave crediderim carmina sancta canj?
Materies laudum Deus est, tot gloria rerum,
Omnis in hunc hominum plausus & horror abit.
Hunc natura stupet. stupet ars & norma canendi.
Plena suo nunquam numine lingua silet.
Cur sileant digiti? cur non facundia vocis,
Atq. addita manus nobile pulset ebur?
Dummodo mens digitis, digitus comes incubet artj,
Et quae sunt auris gaudia, sint animi.
CONSTANTINE, tibi sic nos Sapientia totos
Condidit, hunc quavis imperio parte canj.

C. Barlaeus

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 660-663
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657